

Græcis dicta, eademq; ualeria, minima magnitudine, uiribus præcipua, colore nigricans: sola aquilarum fetus suos alit, ceteræ, ut dicemus, fugant: sola sine clagore, sine murmuratione. Conuersatur autem in montibus. Secundi generis pygargus, in oppidis mansitat & in campis, albicante cauda. Tertij morphnos, quam Homerus & percnon uocat, aliqui & plancum, & anatariam, secunda magnitudine & ui: huicq; uita circa lacus. Phæmonoe Apollinis dicta filia, dentes ei esse prodidit, mutæ alias, carentiq; lingua: eadem aquilarum nigerrimâ, prominētiora cauda. Cōsentit et Boethus. Ingeniū est ei, testudines raptas frangere è sublimi iaciendo: quæ sors interemit poetam Aeschylum, prædictam fati (ut ferunt) eius diei ruinâ secunda cæli fide cauentem. Quarti generis est percnopteris: eadem oripelargus, uulturina specie, alis minimis, reliqua magnitudine antecellens, sed imbellis & degener, ut quam uerberet coruus, eadem ieiunæ semper auuditatis, & querule murmurationis: sola aquilarum exanimata fert corpora, ceteræ cum occidere confidunt. Hæc facit, ut quintū genus gniesion uocetur, uelut uerū, solumq; incarruptæ originis, media magnitudine, colore subrutilo, rarū cōspectu. Superest haliaetos, clarissima oculorum acie, librans ex alto sese, uisq; in mari pisce, præceps in eum ruens, et discussis pectore aquis rapiens. Illa quâ tertiam fecimus, circa stagna aquaticas aues appetit mergentes se subinde, donec sopitas lassatasq; rapiat. Spectanda dimicatio, aue ad pfugia littorū tendente, maxime si cōdensa arundo sit: aquila inde ictu abigente alæ, & cum appetit in lacus cadente, umbramq; suam nanti sub aqua à littore ostendente: rursus aue in diuersa, & ubi minime se credat expectari, emergente. Hæc causa gregatim auibus nandandi, quia plures simul non infestantur, respersu pinnarum hostem obcæcantes. Sæpe & aquilæ ipsæ non tolerantes pondus apprehensum, una merguntur. Haliaetus tantum implumes etiamnum pullos suos percutiens, subinde cogit aduersos intueri solis radios: & si coniuuentem humectantemq; animaduertit, præcipitat è nido, uelut adulterinū atq; degenerē: illum cuius acies firma contra steterit, educat. Haliaeti suum genus non habent, sed ex diuerso aquilarum coitu nascuntur. Id quidem quod ex ijs natum est, in ossifragis genus habet, è quibus uultures progenerantur minores: & ex ijs magni, qui omnino non generant. Quidam adijciunt genus aquilæ, quam barbatam uocant. Thufci uero ossifragâ. Tribus primis et quinto aquilarum generi in edificatur nido lapis aetites, quæ aliqui dixere gagatē, ad multa remedia utilis, nihil igne deperdes: Est autem lapis iste prægnans: intus cum quatiis, alio uelut in utero sonante. Sed uis illa medica non nisi nido direptis. Nidificant in petris & arboribus, pariunt oua terna: excludunt pullos binos, nisi sunt & tres aliquando. Alterum expellunt tædio nutriendi. Quippe eo tēpore ipsis cibum negauit natura, prospiciens ne omnium ferarū fetus raperentur. Vngues quoq; earū

inuertuntur diebus ijs, albescunt inedia pennæ, ut merito partus suos oderit. Sed eiectos ab his cognatū genus ossifragæ excipiunt, & educant cum suis. Verum adultos quoque persequitur parens, & longe fugat, æmulos scilicet rapinæ. Et alioquin unū par aquilarum magno ad populandum tractu ut satietur idiget. Determinat ergo spatia, nec in proximo pradantur. Rapta non protinus ferit, sed primo deponit, expertaq; pōdus tūc demū abeūt. Oppetūt non senio, nec ægritudine, sed fame, in tantū superiore accrescēte rostro, ut aduncitas aperiri nō queat. A meridiano autē tēpore operantur, & uolant: prioribus horis diei, donec impleantur hoīum conuentu fora, ignauæ sedent. Aquilarum pennæ mixtas reliquarū alitū pēnas deuorat. Negant unquam solam hæc alitem fulmine exanimatam. ideo armigeram Iouis consuetudo iudicauit.

Quādo legionū signa esse cœperint, & cum quibus sit aquilis bellum. CAP. IIII.

Romanis eā legionibus C. Marius secūdo cōsultu suo proprie dicauit. Erat et antea prima cū quatuor alijs: lupi, minotauri, equi, apriq; singulos ordines anteibat. Paucis ante annis sola in acie portari cœpta erat, reliqua in castris relinquebatur. Marius in totū ea abdicauit. Ex eo notatū, nō fere legionis unquā hybernasse castra, ubi aquilarū non sit uigum. Primo & secundo generi non minorum tantum quadrupedum rapina, sed etiā cū seruis prælia. Multum puluerem uolutatu collectū, insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora uerberas, donec præcipitet in rupes. Nec unus hostis illi satis est, acrior est cum dracone pugna, multoq; magis anceps etiam si in aere. Oua hic consecratur aquilæ auuditate malefica, at illa ob hoc rapit ubicūq; uisum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans, ut simul decidat.

Mirum de aquila. CAP. V.

Est percelebris apud Seston urbē aquila gloria: educatā à uirgine retulisse gratiā, aues primo, mox deīde ueuatus aggerentē. Defuncta postremo, in rogum accensum eius iniectisse sese, & simul conflagrasse. Quam ob causam incolæ, quod uocant Heroum, in eo loco fecere, appellatum Iouis & uirginis, quoniam illi deo ales adscribitur.

De uulturibus. CAP. VI.

Vulturū præualent nigri. Nidos nemo attigit. Ideo etiam suere, qui putarent illos ex aduerso orbe aduolare falso. Nidificant enim in excelcissimis rupibus. Fœtus quidem sæpe cernuntur fere bini. Vmbrius aruspicum in nostro æuo peritissimus, parere tradit oua tria: uno ex ijs reliqua oua nidūq; lustrare, mox abijcere. Triduo autem ante aut biduo uolare eos ubi cadauera futura sunt.

De sanguale. CAP. VII.

Sangualē auē atq; immussulū, augures Romani in magna q̄stione habent. Immussulū aliqui uulturis pullū arbitratur esse, et sangualē ossifragæ. Massurius sangualē ossifragā esse dicit: immussulum autē

l ij pullum